

CELSISSIMO PRINCIPI, ac  
DOMINO suo CLE-  
MENTISSIMO,

VERO PATRIÆ PATRI

# D. GUILLELMO III

Dei Gratiâ, Arausionis Nas-  
saviæque Supremo  
PRINCIPI.

*Comiti Cattimeliboci, Viandæ,  
Dietziæ, Lingæ, Meursæ,  
Buræ, Leerdami, Veræ, Vlif-  
singæque Marchioni, Bredæ,  
Gravæ, Ditionis Cukianæ,  
Diestæ, Grimbergæ, Herstalli,  
Cranendonki, Varnestoni, Ar-  
læi, Noferoli, S. Viti, Das-  
burgi, Polani, Wilhelmosta-  
dii, Nirvarti, Iselsteini, S.  
Martinodici, Steenbergæ, Mon-  
tis*

\* 2

*tis Gertrudis, Naaltvici, Superioris pariter & Inferioris Svaltvæ Domino ac Baroni. Antuerpiæ & Bisuntionis Burggravio. Hollandiæ Mareschalco Hæreditario. Geldriæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Ultrajecti atque Transsylvaniæ Gubernatori & Dictatori Perpetuo. Fæderati Belgii quâ terrâ quâ mari Imperatori summo. &c.*

**N**isi magna esset Tua facilitas, non ausim, Illustrissime Princeps, ignobilem hunc & proletarium Medicinæ meæ fœtum, Tuæ fidei, Tuoque patrocínio obtrudere; eadem enim Benignitas quâ Tibi subditorum animos arctissimè obstringis mihi spem facit me virulentos malorum morsus  
Au-

Authoritatis Tuæ clypeo re-  
pulsurum. Primitiæ fructuum,  
Serenissime Princeps, sub an-  
tiquum fœdus, Summi sacerdo-  
tis erant; Ego quoque cum se-  
dulò dispicerem cuienam præci-  
puè Embryonem hunc, haf-  
que Medicinæ primitias da-  
rem, dicarem; nemo citiùs  
quàm Tu, ceu summus mihi  
Pontifex occurristi, non tam  
ob inclytam Tuæ Gentis Ori-  
ginem, quæ antiquitate & glo-  
riâ nulli cedit, quàm potiùs  
ob ea quæ verè Tua sunt; Sed  
non lubet hîc, Præstantissime  
Princeps, incredibilem Tuum  
Religionis zelum, insignem  
super annos prudentiam, ac in-  
victam & à Majoribus insitam  
animi magnitudinem multis  
verborum lenociniis prædica-  
re. Non assequitur carbo Ma-  
jes-

\* 3



jestatem Solis , cujus radiorum  
fulgor continuè lucet. Cuilibet  
notum est Te fuisse eum qui  
Regionem hanc ac Religionem  
hostium alioquin prædæ expo-  
sitas in hunc usque diem sic ser-  
vavit ut hîc ampliùs Te super-  
stite nullus timeat. Quantus  
sis Generosorum , Piorum , at-  
que Literatorum Fautor , af-  
fectus quo tot Excellentissimos  
Viros diligis , abundè probat.  
De ingenti Tuo erga Literas  
amore nihil dicam , quum eum  
omnes in Te pariter admire-  
mur. Verùm ne captasse vi-  
dear occasionem Laudis quam  
Tu pro ingenità Tibi modestiâ  
spernere soles , ego tantùm  
subnexum librum ad Tuæ Cel-  
situdinis aras deponam , hu-  
millimè rogans ut nominis  
Tui tutela ei non denegetur ,  
Me-

Medicinæ quidem Artis nobilissimæ præstantiam humano generi utilem ac necessariam tunc quoque vides cum Te & Aulam Civesque tuos, Doctores tui præstantissimi *Romphius & Bruynsteenius* Reipublicæ bono, ex periculosis morbis pristinæ, cum Deo, valetudini restituunt. Accipe igitur Mecænas, istud qualecunque Observantiæ meæ signum; quod si Tibi non displiceat oppidò mihi gratulabor; nam ut rectè Venusinus cecinit.

Principibus placuisse  
Viris non ultima laus est.

Vale, Princeps Illustrissime.  
Deum precor medullitùs unâ  
cum fratre meo ac omnibus bonis  
ut ipsam Celsitudinem  
\* 4 Tuam,

Tuam, Heroinam Principif-  
sam lectiffimam, Imperato-  
rum, Principum, Regumque  
progeniem diu longumque fos-  
pitet.

*Usu ac mancipio Tuus sub-  
ditus Arausionensis,*

B. P I E L A T

*Medicinae Doctor.*

SON-